

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL  
Decretum

**Prot. n. 44426/10 CA<sup>3</sup>**  
**Reductionis ecclesiae in usum profanum**

Confecto summario in causa de qua supra, ad disceptationem coram Em.mis atque Exc.mis H.S.T. Patribus Iudicibus delata, Exc.mus Episcopus dioecesanus die 14 iunii 2011 decretum edidit quod «revokes the previous provision regarding the disposition of Saint [...] Church issued on Friday, February 21, 2008, and replaces it with the above provision that Saint [...] Church be reduced to an oratory».

Cum exinde obiectum controversiae iuxta dubium concordatum non amplius haberetur, H.S.T. die 14 iulii 2011 decretum edidit quo lis finita declarata est. Quam adversus decisionem Cl.ma Recurrentium Patrona, invocato art. 28, § 1 *Legis propriae*, die 29 iulii 2011 ad Em.mum H.S.T. Praefectum provocavit atque instituit ut lis ad iudicium deferretur.

De decreto litis finitae inaccurate ab Officio dioecetano publici iuris facto certior facta, haec Signatura Apostolica Exc.mo Episcopo die 2 augusti 2011 rescripsit Supremum Tribunal litem finitam in causa declaravisse «because you withdrew your decision to reduce the church to profane use and you disposed that the church would remain open to be used for divine worship» atque hoc modo minime Signaturam Apostolicam Exc.mi Episcopi decisionem confirmavisse «that St. [...] Church is canonically no longer an *ecclesia* as defined in can. 1214 but merely an *oratorium* as defined in can. 1223».

Quibus praehabitis,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo perpensa;

Praemisso quod Exc.mus Episcopus decreto diei 14 iunii 2011 duas decisiones sumpsit omnino distinctas, id est primum revocavit decretum quo ecclesia [...] in usum profanum die 21 februarii 2008 reducta est, quae ecclesia proinde restituta est pristino suo statui ecclesiae (cf. can. 1214); dein eandem ecclesiam in oratorii statum (cf. can. 1223) reducendam statuit;

Pro comperto habito quod Recurrentes alteram decisionem, ecclesiam scilicet in oratorium reducendi, primum remonstratione ac dein recursu hierarchico coram Congregatione pro Clericis impugnaverunt; qua de re Congregatio competens est ad actus impugnati suspensionem, si et quatenus, decernendam necnon omnes alias quaestiones ad rem pertinentes solvendas;

Cauto quod nullum prorsus praeiudicium ex decreta lite finita Recurrentibus provenit; nam si recursus adversus reductionem ecclesiae in oratorium apud Congregationem pro Clericis nunc pendens quovis modo in Recurrentium favorem cedit, superstes manet seu reviviscit decisio restitutionis ecclesiae [...] in suo pristino ecclesiae statu; si vero, idem recursus adversus Recurrentes solvitur, haec Signatura Apostolica inconcusse tenet Exc.mum Episcopum oratorium in usum profanum non sordidum in casu reducere non posse, nisi ad amissim servatis canonibus et praescriptionibus de ecclesiae reductione in usum profanum (cf. can. 1222), quia reductio ecclesiae prius in oratorium ac dein in usum profanum iure praesumitur unum constituere actum administrativum, duobus quidem inextricabilibus gressibus latum;

Auditis Rev.mo Promotore Iustitiae et Rev.do Promotore Iustitiae Substituto;

**decrevit:**

**In decisio.**

Et notificetur omnibus quorum interest ad omnes iuris effectus.

Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 8 novembris 2011.

Raimundus Leo Card. BURKE

*Praefectus*

✠ FRANCISCUS DANEELS, O.Praem.

*Secretarius*